



## **Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio**

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt  
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

A Clemente XI. Ad Benedictum XIII.

**Luxemburgi, MDCCXLI.**

79. Non minus piis &c. Decretum quo omnibus Ecclesiasticis Sacro Ordini  
Constantiniano S. Georgii adscripti, ac insuper omnibus aliis inservientibus  
Ecclesiæ Conventuali Parmen. & aliis ejusdem ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74859](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74859)



1720.

omnibus Christianidelibus tam Secularibus, quam Regularibus, qui ad horas Canonicas tenentur sub Ritu duplici celebrari debere; Et ut in ejus Missa, quae incipit: *In medio Ecclesie*, dicatur etiam *Credo*, indulset, ac ita in Breviario, & Missali Romano apponi mandavit, si Sanctissimo Domino Nostro placuerit. Die 3. Februarii 1720.

*Factaque per me Secretarium eidem Sanctissimo Domino Nostro relatione, Sanctitas Sua benigne annuit. Die 8. ejusdem mensis, & anni.*

F. Card. Paulutius Pro-Praefectus.

N. M. Tedeschi Episc. Liparit. Sac.

Rituum Congr. Secret.

XXX.

## DECRETUM

Quo omnibus Ecclesiasticis Sacro Ordini Constantiano S. Georgii adscripti, ac insuper omnibus aliis interservientibus Ecclesiae Conventuali Parmen., & aliis ejusdem Ordinis Ecclesiis ubicumque existentibus permittitur, ut Officium de eodem Sancto Georgio sub Ritu duplici primae classis cum octava recitare, & Missam de communi celebrare possint, servatis de rubricis Missalis, & Breviarii Romani.

**N**on minus piis, quam enixis precibus Serenissimi Ducis Parmae, ac Magni Magistri Sacri Ordinis Constantiniani Sancti Georgii Martyris Sacra Rituum Congregationis porrectis, ac per Eminentissimum, & Reverendissimum Dominum Cardinalem Gualterium relatis, Sacra eadem Rituum Congregatio Officium S. Georgii Martyris supradicti Ordinis Titularis cum lectionibus eisdem propriis pro secundo Nocturno die 9. Maji 1693, ad relationem clar. mem. Cardinalis Coloredi jam approbatis ab omnibus Ecclesiasticis tam praefato Ordini adscriptis, quam omnibus aliis interservientibus, sive Ecclesiae Conventuali vulgo nuncupat. della Steccata Civitatis Parmen., sive aliis ejusdem Ordinis Ecclesiis ubicumque existentibus, qui ad horas Canonicas tenentur, sub Ritu duplici primae classis cum octava in posterum recitari, & Missam de communi respectivè celebrari posse concecit, servatis tamen rubricis Breviarii, ac Missalis Romani, si Sanctissimo Domino Nostro placuerit, die 27. Julii 1720.

*Factaque &c. Sanctitas Sua benigne annuit. Die 31. ejusdem mensis, & anni.*

F. Card. Paulutius Pro-Praefectus.

N. M. Tedeschi Episc. Liparit. Sac.

Rituum Congregationis Secret.

XXXI.

## DECRETUM

In Caufa Forolivien. Canonizationis Beati Peregrini Latiosi Ordinis Servorum Beatae Mariae Virginis.

**P**roposita dudum videlicet die 26. Aug. 1702. in Congregatione ordinaria Sacrorum Rituum per Eminentissimum, & Reverendissimum D. Cardinalem Barberinum Caufa Canonizationis B. Peregrini Latiosi Ordinis Servorum B. Mariae Virginis super dubio: *An Sententia Episcopi Forolivien. super cultu immemorabili, & casu excepto a Decretis san. mem. Urbani VIII. esset confirmanda: prodiit rescriptum affirmativum, quod à San-*

ctissimo Domino Nostro Clemente Papa XI. approbatam fuit, ac subinde cum Titulo *Beati* publicatum, juxta resolutionem captam in eadem Congregatione die 2. Septembris ejusdem anni.

Datis postmodum remissorialibus, & compulsorialibus literis Episcopis Forolivien., & Tiphernati, fabricati fuerunt bini Processus ac compulsata quaedam jura, quorum validitas in supradicta Congregatione ordinaria die 12. Septembris 1716. recognita fuit, ac successivè ab eodem Sanctissimo Domino Nostro approbata. Nuper verò in Congregatione generali eorundem Sacrorum Rituum habita coram Sanctitate Sua die 16. Julii proximè praeteriti per supradictum Dominum Cardinalem Barberinum iterum proposita fuit eadem Caufa, discussumque dubium: *An constet de virtutibus ejusdem Beati Peregrini tam Theologicalibus, scilicet Fide, spe & Charitate, quam Cardinalibus, nimirum Prudentia, Justitia, Fortitudine, & Temperantia, earumque respectivè amplex in gradu heroico in casu, & ad effectum, de quo agitur: Super quo Sanctitas Sua, auditis tam Consultorum, quam Eminentissimorum DD. Cardinalium suffragiis dissiulit ea die resolutionem, ut prius coelestis luminis opem tam suis, quam aliorum precibus in tam gravi deliberatione de more imploraret. His peractis praefatus Sanctissimus Dominus Noster infrascripta die Sancto Philippo Benito, eximio ejusdem Ordinis Servorum B. Mariae Virginis Propagatori, sacra, accitis coram se R. P. D. Lambertino Fidei Promotore, ac me infrascripto supradictae Congregationis Secretario, ad praemissum dubium de Virtutibus, dari, & promulgari iussit responsum affirmativum sequentibus verbis, videlicet: *Ita constare de Virtutibus praedictis, ut tuto in praesenti casu procedi possit ad ulteriora, nimirum ad discussionem miraculorum, & ita &c.* Hac die 23. Augusti 1720.*

F. Card. Paulutius Pro-Praefectus.

N. M. Tedeschi Episc. Liparit. Sac.

Rituum Congr. Secret.

## DECRETA MEMORABILIA

Sacrae Congregationis Eminentissimorum, & Reverendissimorum DD. Cardinalium Indulgentiarum, Sacrifque Reliquiarum praeposita

*Juxta temporis seriem disposita.*

## DECRETUM

De initio septennii, ad quod Brevia Apostolica Altarium Privilegiatorum restringi solent.

**D**iscusso dubio in Sacra Congregatione Indulgentiarum, & Sacris Reliquiis praeposita. An attentis verbis, quae in Brevibus Indulgentiarum apponi solent praesentibus ad septennium tantum valentibus, Septennii initium à die publicationis Brevis desumendum sit; eadem Sacra Congregatio die 18. Maji 1711. declaravit, non à die publicationis, sed à die datae Brevis, septennii tempus incipere. Et facta relatione Sanctissimo Domino Nostro per me infrascriptum Secretarium die vigesima ejusdem Mensis, Sanctitas Sua Congregationis sententiam approbavit.

L. M. Card. Gabriellus Praef.

Raphael Cosinus de Hieronymis Secret.

1720.